

et futuris fidelibus suis, gratiam suam et bonam voluntatem. Execucionem licterarum nostrarum directarum dudum Secretis Apulie, tam tunc presentibus quam futuris, de solvendis annis singulis sub certa forma, discretis viris Archipresbitero et Capitulo Maioris Ecclesie Barolitane devotis nostris, quarta parte decime veterum Iurium Curie in Dohana Baroli, et tarenis auri quindecim ponderis generalis, super Iuribus veteris Buczarie ipsius terre, nec non, et Cere libris sexaginta pro Cereo pascali eis ratione ipsius Ecclesie per Curiam nostram debitis, nolentes pretextu cuiuscumque mandati contrarii prepediri, fidelitati vestre presencium tenore mandamus expresse quatinus, Inspecto tenore licterarum ipsarum, et tenaciter observato. non obstante, quod datum in Camera non continetur in illis, vos presentes pro presenti anno huius quarte Indictionis, si nondum pro anno ipso, eisdem Archipresbitero, et Capitulo, est per vos exinde satisfactum et deinde successive futuri eisdem Archipresbitero et Capitulo, dictas decimam, tarenos, et Ceram, iuxta licterarum ipsarum tenorem, sine difficultate solvere, et exhibere curetis. Et recipiatis exinde apodixam Ordinacione Curie nostre, de omni fiscali pecunia, ad nostram Cameram destinanda, seu mandato nostro, de tota pecunia Secretie ipsarum partium per speciales nuncios, ad eandem Cameram transmittenda. aut mandato quocumque contrario nostro, vel alterius cuiuscumque, vobis facto, vel imposterum faciendo, per quod effectus predictorum et presentium licterarum nostrarum impediri posset in aliquo, vel differri aliquotiens non obstante. Presentes autem licteras, post oportunam inspectionem earum, pro cautela restitui volumus presentanti, apud vestrum singulos vigorem similem habituras, Datum Neapoli in Camera nostra, anno domini. Millesimo. Trecentesimo sexto. die, vicesimo nono. Quarte Indictionis. Regnorum nostrorum anno vicesimo secundo.